QVÆ INTER

# Antonium Bendinellium

ET CAROLVM SIGONIVM


Non conueniant,

*IN LIBRO DE VITA, ET REBVS GESTIS P. Scipionis Æmiliani.*





Lucæ apud Vincentium Busdracum.
1569.




## AD LECTOREM.



OTVISSEM, candide Lector, hoc etiam labore, & scribendi genere molesto, supersedere, & à me, qui semper eiusmodi officiũ defugerim, id facilè impetrare, si mihi per Caroli Sigonij recentem iniuriam intra fines ingenij consistere, ac meum sequi institutum licuisset. Is enim non ijs contentus, quæ in Epistola ad eum lingua materna scripta commemorantur, nuper etiam, nulla habita ratione nostri reditus in gratiam, nulla communium studiorum, atque humanitatis, præter opinionem meam, librum de vita, & rebus gestis Scipionis Æmiliani à me bis ante, vt ipse probè nouit editum, Bononiæ, vt mihi benè de se merito tantum incommodaret, ac de nostrarum literularum opinione (siqua tamen est) quasi aliud agens detraheret, post secundam nostram editionem imprimen

*dum curauit. Quis enim non videt, meam Scipionis vitam si non verbo, re tamen ipsa reprehendi, cum dissentanea, multumq́ diuersa, & sæpè contraria, dicantur, multa à me scripta prætereantur, vel non scripta exponantur? quædam etiam alio narrentur ordine? Qui tamen facilè mehercule, omni deposita offensione, ferendus mihi fuisset, si certè, vel plura, quàm nos, vel certiora, atque veriora, vel ordine meliore attulisset: vel ea, in quibus dissentimus, pauca essent, vel parua. sed tot, ac tanta sunt, quæ contra veritatem historiæ, quæ ex coniectura, quæq́ inuerso temporum ordine scripsit: quæ denique illustria, & scitu maximè digna omisit: vt permirum profectò sit, quid huic homini in mentem venerit, vt quod annos viginti suppresserit tandem id tam oscitanter diuulgauerit. Quod quidem ita esse, quoniam propter iam meritò insitam opinionem de illius doctrina, & historiæ cognitione, atque etiam multorum gratiam, facilè fieri potuisset: vt Lectori his de causis minus attento, & oscitanti, & fortasse etiam laborem conferendi fugienti nostra scripta nec verè, nec rectè scripta viderentur, si perpetuò tacerem, & alijs eiusmodi iudicium reliquerem, paucis, ac modestißimè ostendere non grauabor: etiam si mihi se nolle respondere Sigonius, & ad me scripserit, & vt audio Bononiæ dictitet.*

*dictitet. Nam etsi propter illius incredibilem doctrinam summa cum mea, & studiosorum omnium vtilitate id fieri poterat: tamen ei per me silere liceat: primum, quòd non contentionis, nec hominis, quem semper dilexi, vlciscendi, sed mea tuendi, nomenq; prorsus imperiti, atq; stupidi vitandi causa ad scribendum veni: Deinde, ne etiam tertiò lacessitus reliqua patefacere cogar, quæ, dum nimium sibi placet, inseruit ambitioni, & inuentis aliorum aliquid addere, demere, immutare, & aliquo modo in rem suam non sua conuertere, contendit: multa, & grauia commisit. Quòd autem hoc verum sit, me nulla impulsum iniuria, nulla cupiditate illius auctoritatis minuendæ, hoc negotium suscepisse, ex eo maximè perspicuum ijs esse poterit, qui mea suscepta persona, intelligent, me, quoniam, vt dixi, bis de eodem Scipione scripserim, de rebus tantum ad illius historiam pertinentibus agere. Quare, vt res manifesta deprehenderetur, & Lectori quærendi labor minueretur: paginas, & versus tum nostri Scipionis, tum Sigonij libri signaui: vt sine multo labore studiosissimus quisque per se, quid vterq; nostrum, & quo modo de eadem re scripserit, conferre queat.*



# QVÆ INTER ANTONIVM Bendinellium, & Carolum Sigonium non conueniant

## IN LIBRO DE VITA ET REBVS GESTIS *P. Scipionis Æmiliani.*

*Sig. pag.* 4. *ver.* 23: *Bend.* 10. 26.



ILIOS *curauit instituendos*. Plutarchus in Aemilio. τοὺς παῖδας ἀσκῶν. id est, filios instituens. Qui curat filios instituendos, ipse non instituit.

*Sig.* 5. 21.

*Partim in legitimis stipendijs conficiendis traduxit*. Hæc est Sigonii coniectura, quam nullo modo probamus, cum non sit historici, sequi suas coniecturas, sed res, vt gestæ sunt, exponere.

*Sig.* 6. 14.

*Publio Terentio Poeta elegantissimo tantus cum hoc, & eo, quem nominaui, Lælio, vsus intercessit, vt multi propterea fabulas eius non à Terentio, sed aut à Lælio, aut à Scipione scriptas esse crediderint.*

Cicero ad Att. lib. vii. aliam affert causam. Terentii, inquit, fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur à Lælio scribi. Ciceronem Sigonius sequi debuit, non Donatũ.

*Sig.* 6. 19.

*Quarum rerum si vnum, atque alterum maximè ad commemorationem illustre monumentum attulero, abunde, me muneri satisfecisse meo existimabo.*

Hoc

illum femel tantum exiffe ex vrbe; & Romanos prouocaffe cum tamen id fæpè fecerit. prætereo etiam, quot neceffaria, non conuerterit.

Sig. 7. 24.

*Erat tum rex ille grauißimo bello Carthaginienfium implicatus iamque acies ex vtraque parte ad præliandum erant inftructæ cum Scipio ad eum peruenit. Itaque à filio regis humaniſſimè, honeſtiſſimeque exceptus eorum, vt propè res ipſa cogebat, inter ſe pugnam ex edito quodam colle ſpectauit.*

Appianus in Libyco 35.

Καὶ οἱ μὲν τῆς ἐπιούσης ἔμενον ἐς χεῖρας ἥξειν. Σκιπίων δὲ ὁ νεότερος ὑποστρατευόμενος τότε Λευκόλλῳ Κελτίβηρσι πολεμοῦντι ἐς τὸν Μασσανάσσην ἀφικνεῖτο πεμφθεὶς ἐλέφαντας αἰτῆσαι. καὶ αὐτῷ Μασσανάσσης τοῦ σώματος ὡς ἐς μάχην ἐπιμελούμενος, ἱππέας ἅπαντας ἔπεμψε, καὶ τῶν παίδων τισὶν ἐκέλευε ἐλθόντα ὑποδέξασθαι. αὐτὸς ἅμα ἕῳ τὸν στρατὸν ἐξέτασσεν. ὁ δὲ Σκιπίων ἐθεᾶτο τὴν μάχην ἀφ᾽ ὑψηλοῦ καθάπερ ἐκ θεάτρου.

Atque illi quidem (Maffanifa, & Afdrubal) die fequenti manus erant collaturi. Scipio autem minor tum legatus Lucullo bellum gerenti cum Celtiberis ad Maffanifam venit petitum elephantos: & Maffanifa intentus curæ corporis tanquam mox pugnaturus equites omnes ei mifit obuiam, & aliquot ex filiis mandauit, vt Scipionem venientem exciperent: ipfe verò vbi illuxit, exercitum inftruxit. At Scipio ex edito loco tanquam ex theatro pugnam fpectauit.

Hic multa funt errata Sigonii. vnum, quòd putat eodem die, quo Scipio ad Maffanifam venit, effe pugnatum: alterum, quòd ab vno tantum filio Scipionem acceptum fuiffe fcribit: tertium, quòd tam multa & præfertim equites obuiam illi miffos omifit: quartum, quòd tam multa, nulla necefsitate cogente, de fuo addidit.

Sig. 77. Bend. 21. 10.

*Cum autem fama aduentus eius totam iam eſſet fermè Africam peruagata, tanta fuit iuſtitiæ illius inter eas gentes opinio, vt eum non tam Maſſaniſſa, quam Pœni de pace arbitrū tanquam Imperatorem aſciuerint.*

Mira Sigonii ſuperlatio. Non mehercule tam magnificè ii loquuntur, vnde hæc ſumpſit. ὅπερ, Appianus inquit, οἱ Καρχηδόνιοι μαθόντες ἐξεδέοντο τοῦ Σκιπίωνος πρὸς Μασσανάσσην σφᾶς συναλλάξαι. id eſt. Quod (Scipionem veniſſe illuc) Carthaginienſes vbi cognouerunt, rogarunt Scipionem, vt pacem inter ſe, & Maſſaniſam componeret. Valerius lib. 2. cap. 5.

Nec Maieſtati Scipionis Aemiliani parum honoris tributum eſt; cum eum adoloſcentem admodum â Lucullo conſule petendi auxilii gratia ex Hiſpania in Africam miſſum Carthaginienſes, & Maſiniſſa de pace diſceptatorem velut conſulem & imperatorem habuerunt.

Quæro à Sigonio: quî potuit vno die fama Scipionis totam fermè Africam peruagari? vnde tantam iuſtitiæ famam ſibi iam comparauerat? neque Maſſaniſa vllum verbũ (quod appareat) fecit de pace, ſoli Carthaginienſes eam petebant. Valerius dixit, habuerunt diſceptatorem; Sigonius, *de pace arbitrum aſciuerunt*, non tam propriè.

Sig. 7. 11. Bend. 21. 20.

*Appianus tamen elephantis, quorum cauſa venerat, à rege acceptis, ipſum, ſcribit, retro ſe ad Lucullum è veſtigio contuliſſe.* Sigonius cum dicat, *tamen*, & *è veſtigio*, velle ſignificare videtur, Scipionem non ſuſcepiſſe negotium componendæ pacis. quod tamen fecit diligentiſsimé, auctore Appia. neque ſcripſit, Scipionem accepiſſe à Maſſaniſa bonam exercitus partem. quod narrat Valer. lib. 5. cap. 2.

Sig. 7. 17. Bend. 20. 25.

*Duobus poſt annis cum M' Manilio coſuli bellum Carthaginienſibus inferenti tribunus militum obtigiſſet, exiſtimari vix poteſt, quantum ceteris omnibus, & animi, & conſilij magnitudine anteceſſerit. Nam cum conſul, oppugnatione vrbis ſæpè fruſtra tentata per quandam murorum partem, quæ paulò ante deiecta nondum probè fuerat reſtituta ex improuiſo irrumpere cogitaſſet, Scipio Pœnos prærepto imperatoris conſilio, ſuos ita diſpoſuiſſe audiſſet.* Idem in commentario in Faſt. ad an. 604.

Tum

Tum consules vrbem ipsam, quod infirmis adhuc Pœnorum opibus, ea se facilius potituros esse sperarent, omni conatu extemplo oppugnare aggressi sunt. verum cum re sæpius tentata nihil adhuc efficere potuissent, tandem commodissimum rati futurum, si per quandam murorum partem, quæ paulò ante deiecta nondum probè fuerat restituta inuaderent, ea omninò ex improuiso irrumpere constituerunt. At verò Scipio Aemilianus, qui tribunus militum ad quartam legionem venerat, cum Pœnos, cognito consulũ consilio, suos ita disposuisse audisset, vt alii armati Romanorum impetum sustinerent alii inermes ligna, & lapides in eos ingredientes ex loco superiore coniicerent, &c.

Versionem huius Appiani loci, lector candide, legere poteris in erratis Sigonii post nostram vitam. hic ad ea, quæ ibi diximus, hæc addimus. primum Sigonium esse inconstantem, qui in commentario in Fast. dicat ambos consules intulisse bellum Cartheginiensibus, & statuisse irrumpere per partẽ muri ante deiectam: in vita Manilio consuli vtrũq; tribuat. Deinde neminem esse, qui soli Manilio id ascribat: Orosius, & Eutropius vtrique consuli, Liuius duobus tribunis, Appianus Militibus Romanis his verbis ἅμα δ' ἡμέρᾳ Ῥωμαίοις ἐπέπεσεν ὁρμὴ διὰ τοῦ πεσόντος οὔπω τελέως ἐγηγερμένου διώσασθαι, καὶ ἐσδραμεῖν. id est, vbi verò illuxit Romanos cupido inuasit irrumpendi per muri partem deiectam nec dum refectam. Deinde, totum illud esse falsum, *Consules vrbem ipsam, quòd infirmis adhuc Pœnorum opibus, ea se facilius potituros sperarent, omni conatu extemplo aggressi sunt*. Nam, vt narrat Appianus, consules cunctabantur aggredi Carthaginem, vel quòd nollent rem tantam statim aggredi: vel quòd putarent, se vrbem eam armis omnibus spoliatam posse, cum vellent, capere: vel quòd sperarent, Carthaginienses remissuros impetum, & imperata tandem facturos: vel quòd ante rei frumentariæ consulẽdum putarent. Deinde non esse verum, Manilium rem tam sæpè tentasse, vt Sigonius dicit: Postremò expectamus à Sigonio discere, vnde nam habuerit, Carthaginienses præripuis-

se imperatoris consilium: & cur Manilium imperatorem appellet, cum nihil adhuc gessisset, eo nomine dignum. redundantiam huius hominis, & defectum is cognoscet, qui nostram Appiani versionem post vitam pag. 118. cum his Sigonianis conferet.

Sig. 8. 8.

*Post autem cum Pœni summa vi ex vrbe silentio noctis egreßi. Hæc reprehensa sunt pag.* 119. Et hæc. *Etenim è portis castrorum egressus ijs.* Reprehensa sunt pag. 119.

Sig. 8. 27.

*Himilco Phameas strenuus sæpè hostium præfectus.* Hunc Liuius lib. 50. Appianus in Libyco, & Eutropius lib. 4. equitum præfectum appellant, non hostium.

Sig. 8. 13. Ben. 25. 2.

*Etenim cum Pœnorum milites nauium Romanorum præsidium &c. Quæ nobis in his nõ placerent. ostendimus pag.* 120.

Sig. 8. 23.

*His de rebus adeò in ore ciuium omnium erat, vt M. Cato Senex, quid de ijs, qui tum in Africa militabant, sentiret, interrogatus de Scipione versum Homericum vsurpauit.*

*Iste viget solus, reliqui velut vmbra vagantur.*

Hæc suo loco non sunt posita. Nam id à Catone dictum fuisse post Nepherinam expeditionem, post liberatas obsidione cohortes, atque post aduentum legatorum, qui missi in Africam à Senatu fuerant ad omnia, quæ ibi fierent cognoscenda, ostendunt hæc Liuii lib. 49. verba. Præterea cum ab irrita oppugnatione Carthaginis consul exercitum ducere aduersus Asdrubalem vellet, qui cum altera manu iniquum saltum insederat, suasitque primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret: victus deinde complurium, qui, & prudentiæ eius, & virtuti inuidebant, sententiis, & ipse saltum ingressus est. cumque sicut prædixerat, fusus, fugatusque esset Romanus exercitus, & duæ cohortes ab hostibus obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reuersus liberauit eas, & incolumes reduxit. Quam virtutẽ eius Cato vir promptioris ad vituperandum linguæ in Sena-

tu fic profecutus eft, vt diceret, reliquos, qui in Africa militarent, vmbras militare, Scipionem vigere.

Sig. 19. 15. Bend. 27. 30.

*Nam cum commiſſo trans flumen prælio.* Ad ea, quæ diximus pag. 125. Addimus. quòd in commentariis in Faſt. ſcribit, poſt quam variè vtrinque prælio dimicatum eſt. in vita commiſſo prælio. vtrunque malè. Nam ſic Appianus. φόνος ἦν πολὺς ἐξ ἑκατέρων. id eſt. Cedes vtrinque erat magna. Liuius 59. cumque fuſus, fugatuſque eſſet Romanus exercitus.

Sig. 9. 12. Bend. 28. 11.

*Scipio poſt ſe ab eius impetu facilè liberauit.* in commentario in Faſt. *Scipio poſt se fortiſſimè ab Aſdrubalis impetu liberauit.* Neutrum probamus. Nam hæc App. ὁ Σκιπίων ἐπ' αὐτοὺς ἀφίππευσε βαλλόμενός τε καὶ χαλεπῶς id eſt Scipio ad ſuos telis petitus, & ægrè equi beneficio ſe recepit.

Sig. 9. 15 Bend. 28. 17.

*Item Romanis poſt quam in caſtra, & cætera.* Hæc confutata ſunt pag. 123. Item hæc. *Diuerſis è partibus in eos impetum fecit.*

Sig. 10. 4.

*Manilius se in eos acrius animaduerſurum edixit, qui illius in recipiendis copijs, mandato non paruiſſet.* Appianus. 48. ὁ μὲν δὴ Μανίλιος πολλοῖς τισὶν ὑποσχὼν τοῦ μὴ πεισθῆναι Σκιπίωνι τῆς στρατιᾶς ἀποτρέποντι. id eſt. Manilius multa perpeſſus, quod non paruiſſet Scipioni illam expeditionem diſſuadenti.

Sig. 10. 8. Bend. 29. 30.

*Angebat interim ea cura pleroſque.* Appianus ἀχθομένων δὲ πάντων. cum omnes ægre ferrent. reliqua ſunt reprehenſa pag. 123.

Sig. 10. 26.

*Sed populum etiam ſic ei conciliarunt, vt proximis comitijs, quibus L. Piſo, & Sp. Poſtumus conſules facti ſunt, conſul à multis centurijs diceretur.* Et in com. in Faſt. vt annotauimus

tauimus pag. 123. *Sed plebem, inquit, ei ita conciliarunt, vt is proximis comitijs consul à compluribus tribubus diceretur.* Summa hominis copia. in vita *Populum*, in Fastis *Plebem* illic, *à multis centurijs*, hic, *à compluribus tribubus*: quasi idem sint, Populus, plebs, tribus, centuria. Liuius lib. 49. Hac ipsa de re hæc scribit: Et populus Romanus eo fauore illum complexus est, vt comitiis complurimæ eum tribus consulem scriberent. Sigonius, pro, scriberent, posuit, *diceretur*, & imprudenter.

Sig. 10. 3.

*Reliqui ex concubina suscepti*. Valerius lib. 5. cap. 2 scribit Massanissa reliquisse quatuor, & quinquaginta filios. Eutropius lib. 4. quatuor, & quadraginta. Ergo si tres tantum erant legitimi, non est verisimile, ex vna tantum concubina reliquos suscepisse. nos scripsimus, ex concubinis.

Sig. 11. 6. Bend. 31. 33.

*Scipio cum tribus progressus comitibus locum omnem diligentius explorabat: Phameas cum vno, & ipse comite processit obuiam*. Appia. dicit Scipionem in colloquio vnum tantum habuisse comitem. ὁ Σκιπίων ἐξίππευσε μεθ' ἑνὸς. Scipio cum vno comite equo progressus est.

Sig. 11. 16.

*Sed vt hoc fieri poßit, profecto vides*. Appianus 49. κρινῶ δ' εἰ φυκα' ν δυνατὸν ἡγοῦμαι, φανερὸν ἔσεσθαι σοι. id est: deliberabo, inquit, & si id fieri posse putabo, tibi erit manifestum.

Sig. 10. 27.

*A quo tantum abfuit, vt caperetur, vt eundem illum potius ad se cum ipsius equitatu traduxerit*. Infra Sigonius exponit, Phamæam cum duobus millibus, & ducentis equitibus transisse ad Romanos. ergo, id non fecit cum toto equitatu.

Sig. 11. 28. Bend. 32. 25.

*Manilius tamen Scipionem ire concessit ea lege, vt Phamea impunitate promissa, præmia ea tantum ostenderet, quæ fides, & virtus eius postea meruisset*. Appia. 49. χάριν δὲ μὴ ὁρίζειν

ὁρίζειν, ἀλλ᾽ ἐπαγγέλλεσθαι ῥωμαίους τὰ πρέποντα ποιήσειν. id est: de gratia verò nihil definiret, sed ei polliceretur, Romanos decentia facturos.

Sig. 11. 18. Bend. 32. 32.

*Ceterum, vt gratiam sibi Romanorum compararet, fide, & officio annixurum.* Longè aliter App. τὰς δὲ χάριτας ῥωμαίοις ἐπιτρέπειν. Præmia aũt Romanorũ arbitrio permittere.

Sig. 17. 7.

*Iamque perterritos Pœnos insequens portam vrbis intrauerat.* Dum Sigonius necessaria omittit, & superuacanea infarcit, omnia tenebris inuoluit, vt diximus pag. 124. quod ei erit perspicuum, qui hunc in nostra vita pag. 35. locum legere non grauabitur.

Sig. 12. 11. Bend. 35. 25.

*Nuncios statim ad Principes.* Literas, diximus pag. 124.

Sig. 12. 17. Bend. 35. 29.

*Ab adolescentibus Vticensium commeatum ad naues comportari iubet.* Senibus id muneris fuisse impositum probauimus pag. 124.

Sig. 12. 26.

*Mancinus quingentos, quos solos in armis habuit, duobus hostiũ millibus à fronte opposuit.* Hæc sunt reprehẽsa pag. 125.

Sig. 13. 19. Bend. 38. 18.

*Hanc turrim cum adolescens quidam.* Et hæc eadem pag.

Sig. 13. 17. Bend. 38. 28.

*Propè æquabat.* App. 53. τὸ ὕψος ἴσον ὄντα τοῦ μείζει. id est parem muro altitudine: igitur deleri potest, propè.

Sig. 13. 26. Bend. 38. 25.

*Inde ad Megara peruenissent.* Sigonius credidisse videtur Megara suos habuisse muros, sed fallitur.

Sig. 13. 23.

*Refractis portis.* Appianus. πυλίδα: porta refracta.

Sig. 14. 3.

*Scipio cum Megarorum campum.* Vide lector, quæ scripsimus pag. 125. Itẽ de his. *Asdrubal Romanos captiuos &c.*

Sig. 14. 7.

*Asdrubal*

*Asdrubal Megera capta indignè ferens*. Megara non fuere capta, Scipio ea tantum, perfracta porta, est ingressus, ac statim ob eas causas, quas App. cōmemorat, inde egressus.

Sig. 14. 10.

*Carthaginiēses acerbiore in Romanos incitati odio*. Appia. ἀδιάλλακτα τοῖς Καρχηδονίοις τὰ ἐς ῥώμην ἐπινοῶν. Considerans ea se crudelitate effecturum implacabiles, & inexorabiles Romanos Carthaginiensibus. Quî poterant Carthaginienses ob crudelitatem Asdrubalis odio acerbiore in Romanos incitari? nonne ipse dicit infra, Pœnos noua Asdrubalis crudelitate summum in timorem adductos?

Sig. 14. 16.

*Exercitu perpetuo laborante, ac vicissim operi succedente simulque pugnante*. Non ita App. ὅλῳ τῷ στρατῷ πονοῦντι, καὶ παραλλὰξ ἐργαζομένῳ τι, καὶ πολεμοῦντι. Vniuerso exercitu in labore versante, & opus modò faciente, modò pugnante.

Sig. 14. 11. Bend. 39. 23.

*Latitudo muri dimidio amplior fuit*. Murus, vt Appia. refert., erat altus pedes duodecim. Latitudo eiusdem, interprete Sigonio, erat dimidio amplior, hoc est, decem, & octo pedes: cum Appianus dicat sex pedes fuisse latum.

Sig. 14. 13. Bend. 39. 25.

*Super ipsam altissimam turrim &c.* Ad ea quæ scripsimus pag. 126. addimus, hanc Sigonianam turrim nobis videri turrim Nembrot.

Sig. 15. 3. Bend. 41. 10.

*Vt ne captiui quidem Romani quicquam Scipioni nunciare possent*. Ego adduci, non possum, vt credam, Appianum, cum dicit, αἰχμαλώτους, intelligere captiuos Romanos, sed Carthaginienses, ostendat ipse, quaid scripserit coniectura.

Sig. 15. 5.

*Strabo. duobus mensibus cxx. actuarias naues constructas scribit*. Strab. lib. 17 καταφράκτους, id est naues constratas.

Sig. 15. 20.

*Vt si Pœni Romanorum naues nautis, ac remigibus vacuas è vestigio inuasissent*. Sigonius, vt rem minus verisimilem

faceret

faceret, & Scipionem parum prouidum; non exposuit causas, quibus Appia. dicit, naues Romanorum fuisse nautis, & remigibus vacuas.

Sig. 16.4. Ben. 41. 33.

*In eo prælio Romani ab Afrorum scaphis magnis detrimentis affecti sunt, quæ paruæ, ac summa leuitate præditæ maioribus eorum, grauioribusque nauibus succedentes puppibus perforatis, ac remis, & gubernaculis amputatis ex eorum conspectu se repente proripiebant.* Appianus. Longè aliter 55. Ἐν δὲ τῷ πόνῳ τὰ σκάφη τῶν λιβύων τὰ σμικρὰ ταῖς ῥωμαϊκαῖς ναυσὶ μεγάλαις οὔσαις ἐς τοὺς ταρσοὺς ὑποτρέχοντα διετίτρει πρύμνας καὶ ἐξέκοπτε πηδάλια καὶ κώπας, καὶ ἄλλα καὶ ποικίλα ἐλύπει εὐμαρῶς τε ὑποφεύγοντα, καὶ εὐμαρῶς ἐπιπλέοντα. id est. in quo certamine nauigia Libycorum parua nauibus Romanis, quæ magnæ erant, ordines remorum subeuntia puppes pertundebant, gubernacula refringebant, & remos detergebant, aliisque multis, & variis incommodis afficiebant, cum facilè fuga elaberentur, & facile inuaderent.

Tria in Sigonio probare non possumus. vnum, quod τὰ σκάφη, reddiderit, scaphis: cum apud Latinos Scapha sit nauicula tam longarum nauium, quam onerariarum, quam lingua nostra, Schiuo, & Batello appellamus. Alterum, quòd neque verisimile, neque probabile est eiusmodi nauiculas potuisse puppes nauium longarum perforare, remos, & gubernacula, vt ipse dicit, amputare. ego puto fuisse ex genere liburnicarum, vel nauium piraticarum: quæ vulgo Fuste, Fregate, Brigantini dicuntur. tertium, quòd nescimus, quò se eiusmodi Scaphæ Sigonianæ reciperent à conspectu Romanorum, hoc est, vt eas Romani amplius conspicere non possent.

Sig. 16.26. Bend. 42. 21.

*A circuncursantibus Pœnis.* Vide, quæ ad hæc, & alia permulta diximus pag. 117.

Sig. 16. 5..

*Magno in hostes vndarum impetu ferebantur.* Hoc neque

est in Appiano, neque fieri potuit.

Sig. 16. 12. Ben. 43. 1.

*Quod opportunum admodum portus propugnaculum esset.* Hæc confutauimus pag. 128. Item hæc non probauimus. *Omni aditu terra marique præsepto.* Item, *ille cum equite ac currens.* & in Fastis. *Scipio equo accurrens.*

Sig. 17. 12. Ben. 43 31.

*Ex quo cum faces emittere instituissent.* Appianus 56. Δᾶδας τε συγκεκοσμένοι, καὶ θεῖον ἐν κώθωσι πίσσαν ἐσφενδόνων. id est vnde faces paratas, sulphur, & picem infictilibus conii ciebant.

Sig. 17. 17.

*Eum fossa, & muro lapideo sepsit.* Appianus 56. τὸ τεῖχος ἐκ πλίνθων ἀπεταφρευεν. id est muro lateritio muniuit.

Sig. 16. 1.

*Ea pugna est vsque ad solis occasum magna contentione per ducta cum illi in eius diei casu summæ victoriæ, hi summæ salu tis euentum consistere arbitrarentur.*

Appia. 55. ὡς ἐν τῷδε λοιπὸν Καρχηδονίοις μὲν τῆς σωτηρίας οὔσης ῥωμαίοις δὲ τῆς νίκης ἐντελοῦς.

Tanquam in eo certamine Carthaginiensibus quidem esset salus, Romanis verò perfecta, atque integra victoria.

Sig. 16. 17. Bend. 42 9.

*Is locus ante mœnia fuit amplissimus.* Appia. 56. Εὐρύχωρον. Amplum, spatiosum, capax.

Sig. 16. 20. Bend. 42. 11.

*Ne hostes, vt patenti in loco sub muris aliquando versarentur.* App. 56. ἵνα μὴ ὡς ἐν εὐρυχώρῳ στρατοπεδεύοιντο οἱ πολέμιοι. id est, ne quando hostes, vt in amplo loco castrametarentur.

Sig. 17. 13. Ben. 44 25.

*Duabus turribus &c.* Ostendimus pag. 129 Sigonium toto cœlo errasse.

Sig. 17. 26. Bend. 45 15.

*Complures Libyæ vrbes &c.* Ad ea, quæ dicta sunt, pag. 130. hæc accedant. quòd aliæ vrbes Libyæ, Scipionis

ducibus

ducibus, quos ipſe ad Nepherim proficiſcens in diuerſas Libyæ partes dimiſerat ad eas oppugnandas, ſeſe dediderunt, non defecerunt. Nam aliud eſt deficere, aliud dedere ſe. Præterea cauſas præteriit eius deditionis, quas Appianus diligentiſsimè perſequitur 57.

Sig. 18. 7.

*Scipio portum cognomento Cothonem aggredi ſtatuit.* Dicat, obſecro, Sigonius, qui de prænominibus, nominibus, & cognominibus ſcripſit, quod nam erat nomen proprium illius portus, ſi Cotho erat cognomentum? Ergo Sigonio præceptore, dicere licebit. Scipio vrbem cognomento Carthaginem aggredi, ſtatuit.

Sig. 18. 13. Bend. 45. 22.

*Interim C. Lælius a tergo &c.* Hæc nō ſunt probata pag. 130 Item hæc. *Hos fugientes inſecutus Scipio.* pag. 131.

Sig. 18. 23. Ben. 47. 11.

*Scipioni Cothonis muro potito cum Polybius ſuaderet &c.* Plutarchus in Apoph. Scipionis prodit, Polybium ea dixiſſe Scipioni, poſt quam intra muros Carthaginis penetrauit. Ergo hæc erant alio loco exponenda.

Sig. 18. 5.

*Ti. Gracchus cum C. Fannio muros vrbis primus aſcendit.* Hoc etiam erat alio opportuniore loco narrandum. Nam ſi Romani per muros in vrbem ingreſsi ſunt, quî muros primus aſcendit?

Sig. 18. 15.

*Ti. Gracchus cum eſſet Scipionis vxoris frater, idemque in eo bello contubernalis.* Non potuit Gracchus miles priuatus Scipionis ducis, & conſulis eſſe contubernalis. neque id Plutarchus in vita Gracchorum, vnde ea Sigonius ſumpſit, commemorat. ὁμοῦ συνδιαιτώμενος ὑπὸ σκηνὴν τῷ στρατηγῷ. id eſt. vna viuens cum ipſo duce in prætorio.

Sig. 19. 16.

*Patefactis arcis portis.* Per anguſtam portam exiiſſe eam multitudinem tradit Appianus 58. ἀνοιχθέντος αὐτοῖς στενοῦ διατειχίσματος. Patefacta ipſis anguſta porta antemurali.

Sig. 19. 8.

*Primum agmen mulierum in primis miserabile fuit ad xx. millia*. Orosius lib. 4. cap. 23. Mulierum 25. millia fuisse scribit. idem Eutropius.

Sig. 19. 16.

*Asdrubal paulatim se suorum è concilio subducens &c.* Appia. Κἂν λαθὼν ὁ ἀσρούβας ἔφυγε πρὸς τὸν Σκιπίωνα, μετὰ θαλῶν. id est Asdrubal clam fugit ad Scipionem cum ramis oleæ. Quod nam fuerit illud concilium Asdrubalis adhuc coniicere non potui: me doceat Sigonius.

Sig. 19. 23. Ben. 50. 14.

*Transfugæ primum babuere silentium spectaculi nouitate permoti*. Appianus 59. αὐτόμολοι δὲ ὡς εἶδον ᾔτησαν ἡσυχίαν σφίσι γενέσθαι. Transfugæ autem vbi viderunt Asdrubalem silentium sibi fieri petiuerunt.

Sig. 30. 3.

*Iam iram profectò tuam explesti Scipio, cum Carthaginienses deuiceris, & Asdrubalem ipsum, qui capiendus tibi re linquebatur, habeas in potestate: de eo tu quidem vt libet, vtq; nostræ fortunæ conuenit, statuito, qui coniugem, qui liberos qui templa, qui patriam prodidit suam. Inde ad Asdrubalem conuersam addidisse. Tu verò sceleratissime, ac perfidissimè omnium hominum quandoquidem Carthaginis Imperatorem te fuisse gloriaris cur nō huic propter quem sedes pœnas persoluis? me quidem certè, ac liberos meos hodierno die hac flamma conficiet*. Præter ordinem Appiani perturbatum, hæc adeò à Græcis sunt diuersa: vt vix putem inde fuisse sumpta. Appia. 59. Σοὶ μὲν οὐ νέμεσις ἐκ θεῶν ὦ ῥωμαῖε. ἐπὶ γὰρ πολεμίαν ἐστράτευσας. ἀσρούβαν δὲ τόνδε πατρίδος τε, καὶ ἱερῶν, καὶ ἐμοῦ, καὶ τέκνων προδότην γενόμενον οἵ τε Καρχηδόνος δαίμονες ἀμύναιτο. καὶ σὺ μετὰ τῶν δαιμόνων. εἶτ' ἐς τὸν ἀσρούβαν ἐπιστρέψασθαι εἰπεῖν. ὦ μιαρὲ καὶ ἄπιστε, καὶ μαλακώτατε ἀνδρῶν: ἐμὲ μὲν καὶ τοὺς ἐμοὺς παῖδας τόδε τὸ πῦρ θάψει: σὺ δὲ τίνα κοσμήσεις θρίαμβον, ὁ τῆς μεγάλης καρχηδόνος ἡγεμών. τίνα δ' οὐ δώσεις δίκην τῷ δε, ὧ παρακαθέζῃ. id est.

Tibi.

Tibi quidem dii non sint irati, ô Romane. Hostilem enim agrum infesto exercitu aggressus fuisti. Asdrubalem autem istum patriæ, & sacrorum, & mei, & filiorum proditorem Dii Carthaginis vlciscantur, tuque cum Diis. Deinde ad Asdrubalem conuersa, scelestе, inquit, & perfide, & effœminatissime hominum, me quidem, & meos filios hic ignis sepeliet. Tu vero ad quem triumphum reserua ris dux magnæ Carthaginis? quas non pœnas dabis huic, cui assides?

Sig. 20. 17. Ben: 50. 25.

*Asdrubal post sibi mortem consciuisse proditum est.* Ap. 59 ὥστε μὲν φασι τὴν Ἀσρούβα γυναῖκα ὡς αὐτὸν ἐχρῆν ἀσρούβαν, εἴπουσαν ἀποθανεῖν. id est. Hunc, dicunt, fuisse Asdrubalis vxoris exitum, qui decuisset ipsum Asdrubalem. Orosius lib. 4. cap. 23. Rex Asdrubal se vltro dedit. Eutrop. lib. 4. Triumphus Africani celeberrimus fuit, ante cuius currum ductus est Asdrubal.

Sig 20. 6. Ben. 51. 30.


*His rebus gestis nauem spolijs ornatam Romam nunciatum victoriam misit: item in Siciliam alias.* Primum affirmamus Scipionem non ante misisse Romam eam nauim, quàm est diruta Carthago: quàm præda per aliquot dies est militibus concessa, quàm denique exercitus multis est affectus donis. quæ omnia infra explicantur, vti possunt, à Sigonio ordine Appiani inuerso, & perturbato. Deinde negamus in Siciliam naues missas: sed literas asseueramus de sententia Ciceronis de prouinciis consularibus, & Valerii lib. 5. capite primo.

Sig. 20. 27.

*Quibus rebus administratis &c.* Neque hic est ordo Ap. seruatus: nam quæ infra narrantur, ea ante facta fuerunt, quàm quæ hic exponuntur.

Sig. 20. 27.

*Prædam verò omnem militibus præter aurum, argentum & insignes statuas, dispartiuit.* Appianus 29.



Hoc dicendi genus ostendit potius oratoris artificium, quàm historici officium, Non enim putabam, eum, qui vitam, & res gestas alterius scriberet, officio satisfecisse suo, si vnum aut alterum illius egregiũ facinus persequeretur, reliqua non minus memoratu digna omitteret. vt omisit Sigonius muralem coronam, quam Scipio tum donatus fuit à Lucullo, quãquam hoc est Sigonii proprium hoc in libro.

Sig. 6. 25. . Bend. 20 1.

*Cum eximia corporis magnitudine miles quidam processisset in medium, & quanta maxima voce potuit, Romanorum fortissimum quenque increpitans ad pugnam sæpius prouocauit. Huic ergo cum Scipio sese cæteris obmutescentibus, ac propè attonitis, ostendisset, tantum virtute profecit, vt non insolentem solum barbarum congressus comminus interfecerit, sed suos etiam in spem belli eius benè, feliciterque conficiendi adduxerit.*

Appianus in Iberica pag 188.

Θαμινὰ δέ τις τῶν βαρβάρων ἐξίππευεν ἐς τὸ μεταίχμιον, κεκοσμημένος ὅπλοις περιφανῶς καὶ προυκαλεῖτο, Ῥωμαίων ἐς μονομαχίαν τὸν ἐθέλοντα οὐδενὸς δ' ὑπακούοντος ἐπιτωθάσας, καὶ τῷ σχήματι κατορχησάμενος, ἀπεχώρει. γιγνομένου δὲ τούτου πολλάκις ὁ Σκιπίων ἔτι νέος ὑπερήλγησέ τε καὶ προπηδήσας ὑπέστη τὸ μονομάχιον. εὐτυχῶς δ' ἐκράτησεν ἀνδρὸς μεγάλου μικρὸς ὢν καὶ τόδε μὲν ἐπῆρε ῥωμαίους, id est.

Sæpenumero autem quidam barbarorum in equo prodibat in medium, & armis perspicuis instructus prouocabat è Romanis ad singulare certamen, qui vellet. Nullo ab Romanis dato responso, eos illudens, & irridens, saltans, & gesticulans discedebat, quod cum sæpè id faceret, Scipio adhuc adolescens animo iniquissimo tulit. qui progressus singulare certamen subiit. & feliciter virum magnum superauit, cum ipse paruus esset. Hoc quidem Scipionis factum Romanos erexit.

Superuacanea, & hyperbolica per se nota sunt. error autem Sigonii est non paruus in eo, quòd putat, barbarum

illum

illum semel tantum exisse ex vrbe ; & Romanos prouocasse cum tamen id sæpè fecerit. præterea etiam, quot necessaria, non conuerterit.

Sig. 7. 24.

*Erat tum rex ille grauißimo bello Carthaginiensium implicatus iamque acies ex vtraque parte ad præliandum erant instructæ cum Scipio ad eum peruenit. Itaque à filio regis humanissimè, honestissimeque exceptus eorum, vt propè res ipsa cogebat, inter se pugnam ex edito quodam colle spectauit.*

Appianus in Libyco 35.

Καὶ οἱ μὲν τῆς ἐπιούσης ἔμελλον ἐς χεῖρας ἥξειν Σκιπίων δ' ὁ νεώτερος ὑποστρατευόμενος τότε Λευκόλλῳ Κελτίβηρσι πολεμοῦντι ἐς τὸν Μασσανάσσην ἀφικνεῖτο πεμφθεὶς ἐλέφαντας αἰτῆσαι καὶ αὐτῷ Μασσανάσσης τοῦ σώματος ὡς ἐς μάχην ἐπιμελούμενος, ἱππέας ἅπαντας ἔπεμψε, καὶ τῶν παίδων τισὶν ἐκέλευε ἐλθόντα ὑποδέξασθαι. αὐτὸς ἅμα ἕῳ τὸν στρατὸν ἐξέτασσεν. ὁ δὲ Σκιπίων ἐθεᾶτο τὴν μάχην ἀφ' ὑψηλοῦ καθάπερ ἐκ θεάτρου.

Atque illi quidem (Massanisa, & Asdrubal) die insequenti manus erant collaturi. Scipio autem minor tum legatus Lucullo bellum gerenti cum Celtiberis ad Massanisam venit petitum elephantos: & Massanisa intentus curæ corporis tanquam mox pugnaturus equites omnes ei misit obuiam, & aliquot ex filiis mandauit, vt Scipionem venientem exciperent: ipse verò vbi illuxit, exercitum instruxit. At Scipio ex edito loco tanquam ex theatro pugnam spectauit.

Hic multa sunt errata Sigonii. vnum, quòd putat eodem die, quo Scipio ad Massanisam venit, esse pugnatum: alterum, quòd ab vno tantum filio Scipionem acceptum fuisse scribit: tertium, quòd tam multa & præsertim equites obuiam illi missos omisit: quartum, quòd tam multa, nulla necessitate cogente, de suo addidit.

Sig. 77. Bend. 21. 10.

*Cum autem fama aduentus eius totam iam esset fermè Africam peruagata, tanta fuit iustitiæ illius inter eas gentes opinio, vt eum non tam Massanissa, quam Pœni de pace arbitrũ tanquam Imperatorem asciuerint.*

Mira Sigonii superlatio. Non mehercule tam magnificè ii loquuntur, vnde hæc sumpsit. ὅπερ, Appianus inquit, οἱ Καρχηδόνιοι μαθόντες ἐξεδέοντο τοῦ Σκιπίωνος πρὸς Μασσανάσσην σφᾶς συναλλάξαι, id est. Quod (Scipionem venisse illuc) Carthaginienses vbi cognouerunt, rogarunt Scipionem, vt pacem inter se, & Massanissam componeret. Valerius lib. 2. cap. 5.

Nec Maiestati Scipionis Aemiliani parum honoris tributum est; cum eum adolescentem admodum â Lucullo consule petendi auxilii gratia ex Hispania in Africam missum. Carthaginienses, & Masinissa de pace disceptatorem velut consulem & imperatorem habuerunt.

Quæro à Sigonio: quî potuit vno die fama Scipionis totam fermè Africam peruagari? vnde tantam iustitiæ famam sibi iam comparauerat? neque Massanissa vllum verbû (quod appareat) fecit de pace, soli Carthaginienses eam petebant. Valerius dixit, habuerunt disceptatorem; Sigonius, *de pace arbitrum asciuerunt*, non tam propriè.

Sig. 7. 11. Bend. 21. 20.

*Appianus tamen elephantis, quorum causa venerat, à rege acceptis, ipsum, scribit, retro se ad Lucullum è vestigio contulisse*. Sigonius cum dicat, *tamen*, & *è vestigio*, velle significare videtur, Scipionem non suscepisse negotium componendæ pacis. quod tamen fecit diligentissimé, auctore Appia. neque scripsit, Scipionem accepisse à Massanissa bonam exercitus partem. quod narrat Valer. lib. 5. cap. 2.

Sig. 7. 17. Bend. 20. 25.

*Duobus post annis cum* M' M*anilio cosuli bellum Carthaginiensibus inferenti tribunus militum obtigisset, existimari vix potest, quantum ceteris omnibus, & animi, & consilij magnitudine antecesserit. Nam cum consul, oppugnatione vrbis sæpè frustra tentata per quandam murorum partem, quæ paulò ante deiecta nondum probè fuerat restituta ex improuiso irrumpere cogitasset, Scipio Pœnos prærepto imperatoris consilio, suos ita disposuisse audisset*. Idem in commentario in Fast. ad an. 604.

Tum

Tum consules vrbem ipsam, quod infirmis adhuc Pœnorum opibus, ea se facilius potituros esse sperarent, omni conatu extemplo oppugnare aggressi sunt, verum cum re sæpius tentata nihil adhuc efficere potuissent, tandem commodissimum rati futurum, si per quandam murorum partem, quæ paulò ante deiecta nondum probè fuerat restituta inuaderent, ea omninò ex improuiso irrumpere constituerunt. At verò Scipio Aemilianus, qui tribunus militum ad quartam legionem venerat, cum Pœnos, cognito consulũ consilio, suos ita disposuisse audisset, vt alii armati Romanorum impetum sustinerent alii inermes ligna, & lapides in eos ingredientes ex loco superiore coniicerent, &c.

Versionem huius Appiani loci, lector candide, legere poteris in erratis Sigonii post nostram vitam. hic ad ea, quæ ibi diximus, hæc addimus. primum Sigonium esse inconstantem, qui in commentario in Fast. dicat ambos consules intulisse bellum Carthaginiensibus, & statuisse irrumpere per partẽ muri ante deiectam: in vita Manilio consuli vtrũq; tribuat. Deinde neminem esse, qui soli Manilio id ascribat: Orosius, & Eutropius vtrique consuli, Liuius duobus tribunis, Appianus Militibus Romanis his verbis ἅμα δ' ἡμέρα Ῥωμαίοις ἐπὶ πεσεῖν ὁρμὴ διὰ τοῦ πεσόντος οὔπω τελέως ἐγηγερμένου εἰσιέναι, καὶ ἐσιδάμενοι. id est, vbi verò illuxit Romanos cupido inuasit irrumpendi per muri partem deiectam nec dum refectam. Deinde, totum illud esse falsum, *Consules vrbem ipsam, quòd infirmis adhuc Pœnorum opibus, ea se facilius potituros sperarent, omni conatu extemplo aggressi sunt*. Nam, vt narrat Appianus, consules cunctabantur aggredi Carthaginem, vel quòd nollent rem tantam statim aggredi: vel quòd putarent, se vrbem eam armis omnibus spoliatam posse, cum vellent, capere: vel quòd sperarent, Carthaginienses remissuros impetum, & imperata tandem facturos: vel quòd ante rei frumentariæ consulẽdum putarent. Deinde non esse verum, Manilium rem tam sæpe tentasse, vt Sigonius dicit: Postremò expectamus à Sigonio discere, vnde nam habuerit, Carthaginienses præripuisse

se imperatoris consilium: & cur Manilium imperatorem appellet, cum nihil adhuc gesſiſſet, eo nomine dignum. redundantiam huius hominis, & defectum is cognoſcet, qui noſtram Appiani verſionem poſt vitam pag. 118. cum his Sigonianis conferet.

Sig. 8. 8.

*Poſt autem cum Pœni ſumma vi ex vrbe ſilentio noctis egreßi. Hæc reprehenſa ſunt pag. 119.* Et hæc. *Etenim è portis caſtrorum egreſſus ijs.* Reprehenſa ſunt pag. 119.

Sig. 8. 27.

*Himilco Phameas ſtrenuus ſæpè hoſtium præfectus.* Hunc Liuius lib. 50. Appianus in Libyco, & Eutropius lib. 4. equitum præfectum appellant, non hoſtium.

Sig. 8. 13. Ben. 25. 2.

*Etenim cum Pœnorum milites nauium Romanorum præſidium &c. Quæ nobis in his nõ placerent, oſtendimus pag. 120.*

Sig. 8. 23.

*His de rebus adeò in ore ciuium omnium erat, vt M. Cato Senex, quid de ijs, qui tum in Africa militabant, ſentiret, interrogatus de Scipione verſum Homericum vſurpauit.*

*Iſte viget ſolus, reliqui velut vmbra vagantur.*

Hæc ſuo loco non ſunt poſita. Nam id à Catone dictum fuiſſe poſt Nepherinam expeditionem, poſt liberatas obſidione cohortes, atque poſt aduentum legatorum, qui miſſi in Africam à Senatu fuerant ad omnia, quæ ibi fierent cognoſcenda, oſtendunt hæc Liuii lib. 49. verba. Præterea cum ab irrita oppugnatione Carthaginis conſul exercitum ducere aduerſus Aſdrubalem vellet, qui cum altera manu iniquum ſaltum inſederat, ſuaſitque primo conſuli, ne tam iniquo loco confligeret; victus deinde complurium, qui, & prudentiæ eius, & virtuti inuidebant, ſententiis, & ipſe ſaltum ingreſſus eſt. cumque ſicut prædixerat, fuſus, fugatuſque eſſet Romanus exercitus, & duæ cohortes ab hoſtibus obſiderentur, cum exiguis equitum turmis in ſaltum reuerſus liberauit eas, & incolumes reduxit. Quam virtutẽ eius Cato vir promptioris ad vituperandum linguæ in Sena-

tu

tu sic prosecutus est, vt diceret, reliquos, qui in Africa militarent, vmbras militare, Scipionem vigere.

Sig. 19. 15. Bend. 27. 30.

*Nam cum commisso trans flumen prælio*. Ad ea, quæ diximus pag. 125. Addimus, quòd in commentariis in Fast. scribit, post quam variè vtrinque prælio dimicatum est. in vita commisso prælio, vtrunque malè. Nam sic Appianus. φόνος ἦν πολὺς ἐξ ἑκατέρων. id est. Cædes vtrinque erat magna. Liuius 59. cumque fusus, fugatusque esset Romanus exercitus.

Sig. 9. 12. Bend. 28. 11.

*Scipio post se ab eius impetu facilè liberauit*. in commentario in Fast. *Scipio post se fortissimè ab Asdrubalis impetu liberauit*. Neutrum probamus. Nam hæc App. ὁ Σκιπίων ἐπ' αὐτοὺς ἀφίππευσε βαλλόμενός τε καὶ χαλεπῶς id est Scipio ad suos telis petitus, & ægrè equi beneficio se recepit.

Sig. 9. 15 Bend. 28. 17.

*Item Romanis post quam in castra, & cætera*. Hæc confutata sunt pag. 124. Item hæc. *Diuersis è partibus in eos impetum fecit*.

Sig. 10. 4.

*Manilius se in eos acrius animaduersurum edixit, qui illius in recipiendis copijs, mandato non paruissēt*. Appianus 48. ὁ μὲν δὴ Μανίλιος πολλοῖς τισὶν ὑποσχὼν τοῦ μὴ πεισθῆναι Σκιπίωνι τῆς στρατιᾶς ἀποτρέποντι. id est. Manilius multa perpessus, quod non paruisset Scipioni illam expeditionem dissuadenti.

Sig. 10. 8. Bend. 29. 30.

*Angebat interim ea cura plerosque*. Appianus ἀχθομένων δὲ πάντων. cum omnes ægre ferrent. reliqua sunt reprehensa pag. 123.

Sig. 10. 26.

*Sed populum etiam sic ei conciliarunt, vt proximis comitijs, quibus L. Piso, & Sp. Postumus consules facti sunt, consul à multis centurijs diceretur*. Et in com. in Fast. vt annotauimus

tauimus pag. 123. *Sed plebem, inquit, ei ita conciliarunt, vt is proximis comitijs consul à compluribus tribubus diceretur.* Summa hominis copia. in vita *Populum*, in Fastis *Plebem* illic, *à multis centurijs*, hic, *à compluribus tribubus*: quasi idem sint, Populus, plebs, tribus, centuria. Liuius lib. 49. Hac ipsa de re hæc scribit. Et populus Romanus eo fauore illum complexus est, vt comitiis complurimæ eum tribus consulem scriberent. Sigonius, pro, scriberent, posuit, *diceretur*, & imprudenter.

Sig. 10. 3.

*Reliqui ex concubina suscepti*. Valerius lib. 5. cap. 2 scribit Massanissa reliquisse quatuor, & quinquaginta filios. Eutropius lib. 4. quatuor, & quadraginta. Ergo si tres tantum erant legitimi, non est verisimile, ex vna tantum concubina reliquos suscepisse. nos scripsimus, ex concubinis.

Sig. 11. 6. Bend. 31. 33.

*Scipio cum tribus progressus comitibus locum omnem diligentius explorabat: Phameas cum vno, & ipse comite processit obuiam*. Appia. dicit Scipionem in colloquio vnum tantum habuisse comitem. ὁ Σκιπίων ἐξιππεύων μεθ' ἑνὸς. Scipio cum vno comite equo progressus est.

Sig. 11. 16.

*Sed vt hoc fieri poßit, profecto vides*. Appianus 49. κρινῶ δ' εἰ φῂς καὶ δυνατὸν ἡγοῦμαι, φανερὸν ἔσται σοι. id est: deliberabo, inquit, & si id fieri posse putabo, tibi erit manifestum.

Sig. 10. 27.

*A quo tantum abfuit, vt caperetur, vt eundem illum potius ad se cum ipsius equitatu traduxerit*. Infra Sigonius exponit, Phamæam cum duobus millibus, & ducentis equitibus transisse ad Romanos. ergo, id non fecit cum toto equitatu.

Sig. 11. 28. Bend. 32. 25.

*Manilius tamen Scipionem ire concessit ea lege, vt Phameæ impunitate promissa, præmia ea tantum ostenderet, quæ fides, & virtus eius postea meruisset*. Appia. 49. χάριν δὲ μὴ

ὁρίζειν

ὁρίζειν, ἀλλ' ἐπαγγέλλεσθαι ῥωμαίους τὰ πρέποντα ποιήσειν. id est: de gratia verò nihil definiret, sed ei polliceretur, Romanos decentia facturos.

Sig. 11. 18. Bend. 32. 32.

*Ceterum, vt gratiam sibi Romanorum compararet, fide, & officio annixurum.* Longè aliter App. τὰς δὲ χάριτας ῥωμαίοις ἐπιτρέπειν. Præmia aũt Romanorũ arbitrio permittere.

Sig. 17. 7.

*Iamque perterritos Pœnos insequens portam vrbis intrauerat.* Dum Sigonius necessaria omittit, & superuacanea infarcit, omnia tenebris inuoluit, vt diximus pag. 124. quod ei erit perspicuum, qui hunc in nostra vita pag. 35. locum legere non grauabitur.

Sig. 12. 11. Bend. 35. 25.

*Nuncios statim ad Principes.* Literas, diximus pag. 124.

Sig. 12. 17. Bend. 35. 29.

*Ab adolescentibus Vticensium commeatum ad naues comportari iubet.* Senibus id muneris fuisse impositum probauimus pag. 124.

Sig. 12. 26.

*Mancinus quingentos, quos solos in armis habuit, duobus hostiũ millibus à fronte opposuit.* Hæc sunt reprehẽsa. pag. 125.

Sig. 13. 19. Bend. 38. 18.

*Hanc turrim cum adolescens quidam.* Et hæc eadem pag.

Sig. 13. 17. Bend. 38. 28.

*Propè æquabat.* App. 53. τὸ ὕψος ἴσον ὄντα τοῦ μείζει. id est parem muro altitudine. igitur deleri potest, propè.

Sig. 13. 26. Bend. 38. 25.

*Inde ad Megara peruenissent.* Sigonius credidisse videtur Megara suos habuisse muros. sed fallitur.

Sig. 13. 23.

*Refractis portis.* Appianus. πυλίδα: porta refracta.

Sig. 14. 3.

*Scipio cum Megarorum campum.* Vide lector, quæ scripsimus pag. 125. Itẽ de his. *Asdrubal Romanos captiuos &c.*

Sig. 14. 7.

*Asdrubal*

*Asdrubal Megera capta indignè ferens*. Megara non fuere capta, Scipio ea tantum, perfracta porta, est ingressus, ac statim ob eas causas, quas App. cõmemorat, inde egressus.

Sig. 14. 10.

*Carthaginiẽses acerbiore in Romanos incitati odio*. Appia. ἀδιάλλακτα τοῖς Καρχηδονίοις τὰ ἐς ῥώμην ἐπινοῶν. Considerans ea se crudelitate effecturum implacabiles, & inexorabiles Romanos Carthaginiensibus. Quî poterant Carthaginienses ob crudelitatem Asdrubalis odio acerbiore in Romanos incitari? nonne ipse dicit infra, Pœnos noua Asdrubalis crudelitate summum in timorem adductos?

Sig. 14. 16.

*Exercitu perpetuo laborante, ac vicissim operi succedente simulque pugnante*. Non ita App. ὅλῳ τῷ στρατῷ πονοῦντι, καὶ παραλλὰξ ἐργαζομένῳ τε, καὶ πολεμοῦντι. Vniuerso exercitu in labore versante, & opus modò faciente, modò pugnante. Sig. 14. 11. Bend. 39. 23.

*Latitudo muri dimidio amplior fuit*. Murus, vt Appia. refert., erat altus pedes duodecim. Latitudo eiusdem, interprete Sigonio, erat dimidio amplior, hoc est, decem, & octo pedes: cum Appianus dicat sex pedes fuisse latum.

Sig. 14. 13. Bend. 39. 25.

*Super ipsam altissimam turrim &c.* Ad ea quæ scripsimus pag. 126. addimus, hanc Sigonianam turrim nobis videri turrim Nembrot.

Sig. 15. 3. Bend. 41. 10.

*Vt ne captiui quidem Romani quicquam Scipioni nunciare possent*. Ego adduci, non possum, vt credam, Appianum, cum dicit, αἰχμαλώτους, intelligere captiuos Romanos, sed Carthaginienses, ostendat ipse, qua id scripserit coniectura.

Sig. 15. 5.

*Strabo. duobus mensibus cxx. actuarias naues constructas scribit.* Strab. lib. 17 καταφράκτους, id est naues constratas.

Sig. 15. 20.

*Vt si Pœni Romanorum naues nautis, ac remigibus vacuas è vestigio inuasissent*. Sigonius, vt rem minus verisimilem

faceret

faceret, & Scipionem parum prouidum, non exposuit causas, quibus Appia. dicit, naues Romanorum fuisse nautis, & remigibus vacuas.

Sig. 16. 4. Ben. 41. 33.

*In eo prælio Romani ab Afrorum scaphis magnis detrimentis affecti sunt, quæ paruæ, ac summa leuitate præditæ maioribus eorum, grauioribusque nauibus succedentes puppibus perforatis, ac remis, & gubernaculis amputatis ex eorum conspectu se repente proripiebant.* Appianus. Longè aliter 55. Ἐν δὲ τῷ πόνῳ τὰ σκάφη τῶν Λιβύων τὰ σμικρὰ ταῖς Ῥωμαϊκαῖς ναυσὶ μεγάλαις οὔσαις ἐς τοὺς ταρσοὺς ὑποτρέχοντα διετίτρει πρύμνας καὶ ἐξέκοπτε πηδάλια καὶ κώπας, καὶ ἄλλα καὶ ποικίλα ἐλύπει εὐμαρῶς τε ὑποφεύγοντα, καὶ εὐμαρῶς ἐπιπλέοντα. id est. in quo certamine nauigia Libycorum parua nauibus Romanis, quæ magnæ erant, ordines remorum subeuntia puppes pertundebant, gubernacula refringebant, & remos detergebant, aliisque multis, & variis incommodis afficiebant, cum facilè fuga elaberentur, & facile inuaderent.

Tria in Sigonio probare non possumus. vnum, quod τὰ σκάφη, reddiderit, scaphis: eum apud Latinos Scapha sit nauicula tam longarum nauium, quam onerariarum, quam lingua nostra, Schiuo, & Batello appellamus. Alterum, quòd neque verisimile, neque probabile est eiusmodi nauiculas potuisse puppes nauium longarum perforare, remos, & gubernacula, vt ipse dicit, amputare. ego puto fuisse ex genere liburnicarum, vel nauium piraticarum: quæ vulgo Fuste, Fregate, Brigantini dicuntur. tertium, quòd nescimus, quò se eiusmodi Scaphæ Sigonianæ reciperent à conspectu Romanorum, hoc est, vt eas Romani amplius conspicere non possent.

Sig. 16. 26. Bend. 42. 21.

*A circuncursantibus Pœnis.* Vide, quæ ad hæc, & alia permulta diximus pag. 117.

Sig. 16. 5..

*Magno in hostes vndarum impetu ferebantur.* Hoc neque

C est

est in Appiano, neque fieri potuit.

Sig. 16. 12. Ben. 43. 1.

*Quod opportunum admodum portus propugnaculum esset.* Hæc confutauimus pag. 128. Item hæc non probauimus. *Omni aditu terra marique præsepto*. Item, *ille cum equite ac currens*. & in Fastis. *Scipio equo accurrens*.

Sig. 17. 12. Ben. 43 31.

*Ex quo cum faces emittere instituissent*. Appianus 56. Δᾶδάς τε συγκεκοσμένοι, καὶ θεῖον ἐν κώθωσι πίσσαν ἐσφενδόνουν. id est vnde faces paratas, sulphur, & picem infictilibus conii ciebant.

Sig. 17. 17.

*Eum fossa, & muro lapideo sepsit*. Appianus 56. τὸ τεῖχος ἐκ πλίνθων ἀπεταφρευεν. id est muro lateritio muniuit.

Sig. 16. 1.

*Ea pugna est vsque ad solis occasum magna contentione per ducta cum illi in eius diei casu summæ victoriæ, hi summæ salutis euentum consistere arbitrarentur*.
Appia. 55. ὡς ἐν τῷδε λοιπὸν Καρχηδονίοις μὲν τῆς σωτηρίας οὔσης ῥωμαίοις δὲ τῆς νίκης ἐντελοῦς.

Tanquam in eo certamine Carthaginiensibus quidem esset salus, Romanis verò perfecta, atque integra victoria.

Sig. 16. 17. Bend. 42. 9.

*Is locus ante mœnia fuit amplissimus*. Appia. 56. Εὐρύχωρον. Amplum, spatiosum, capax.

Sig. 16. 20. Bend. 42. 11.

*Ne hostes, vt patenti in loco sub muris aliquando versarentur*. App. 56. ἵνα μὴ ὡς ἐν εὐρυχώρῳ στρατοπεδεύσειαν οἱ πολέμιοι. id est, ne quando hostes, vt in amplo loco castrametarentur.

Sig. 17. 13. Ben. 44 25.

*Duabus turribus &c*. Ostendimus pag. 129 Sigonium toto cœlo errasse.

Sig. 17. 26. Bend. 45 15.

*Complures Libyæ vrbes &c*. Ad ea, quæ dicta sunt, pag. 130. hæc accedant. quòd aliæ vrbes Libyæ, Scipionis

ducibus

ducibus, quos ipse ad Nepherim proficiscens in diuersas Libyæ partes dimiserat ad eas oppugnandas, sese dedide-runt, non defecerunt. Nam aliud est deficere, aliud dede-re se. Præterea causas præteriit eius deditionis, quas Ap-pianus diligentissimè persequitur 57.

Sig. 18. 7.

*Scipio portum cognomento Cothonem aggredi statuit*. Dicat, obsecro, Sigonius, qui de prænominibus, nomini-bus, & cognominibus scripsit, quod nam erat nomen pro-prium illius portus, si Cotho erat cognomentum? Ergo Sigonio præceptore, dicere licebit. Scipio vrbem cogno-mento Carthaginem aggredi, statuit.

Sig. 18. 13. Bend. 45. 22.

*Interim C. Lælius a tergo &c.* Hæc nō sunt probata pag. 130 Item hæc. *Hos fugientes insecutus Scipio*, pag. 131.

Sig. 18. 23. Ben. 47. 11.

*Scipioni Cothonis muro potito cum Polybius suaderet &c.* Plutarchus in Apoph. Scipionis prodit, Polybium ea di-xisse Scipioni, post quam intra muros Carthaginis penetra uit. Ergo hæc erant alio loco exponenda.

Sig. 18. 5.

*Ti. Gracchus cum C. Fannio muros vrbis primus ascendit*. Hoc etiam erat alio opportuniore loco narrandum. Nam si Romani per muros in vrbem ingressi sunt, quî muros pri-mus ascendit?

Sig. 18. 15.

*Ti. Gracchus cum esset Scipionis vxoris frater, idemque in eo bello contubernalis*. Non potuit Gracchus miles priuatus Scipionis ducis, & consulis esse contubernalis. neque id Plutarchus in vita Gracchorum, vnde ea Sigonius sumpsit, commemorat. ὁμοῦ συνδιαιτώμενος ὑπὸ σκηνὴν τῷ στρατη-γῷ. id est. vna viuens cum ipso duce in prætorio.

Sig. 19. 16.

*Patefactis arcis portis*. Per angustam portam exiisse eam multitudinem tradit Appianus 58. ἀνοιχθέντος αὐτοῖς στενοῦ διατειχίσματος, Patefacta ipsis angusta porta antemurali.

Tibi quidem dii non sint irati, ò Romane. Hostilem enim agrum infesto exercitu aggressus fuisti. Asdrubalem autem istum patriæ, & sacrorum, & mei, & filiorum proditorem Dii Carthaginis vlciscantur, tuque cum Diis. Deinde ad Asdrubalem conuersa, scelesté, inquit, & perfide, & effœminatissime hominum, me quidem, & meos filios hic ignis sepeliet. Tu vero ad quem triumphum reserua ris dux magnæ Carthaginis? quas non pœnas dabis huic, cui assides?

Sig. 20. 17. Ben. 50. 25.

*Asdrubal post sibi mortem consciuisse proditum est.* Ap. 59 ὡς μὲν φασι τὸν Ἀσρούβα γυναῖκα ὡς αὐτὸν ἐχρῆν ασρούβαν, εἰπουσαι ἀπολέσθαι. id est. Hunc, dicunt, fuisse Asdrubalis vxoris exitum, qui decuisset ipsum Asdrubalem. Orosius lib. 4. cap. 23. Rex Asdrubal se vltro dedit. Eutrop. lib. 4. Triumphus Africani celeberrimus fuit, ante cuius currum ductus est Asdrubal.

Sig 20. 6. Ben. 51 30.


*His rebus gestis nauem spoliis ornatam Romam uunciatum victoriam misit: item in Siciliam alias.* Primum affirmamus Scipionem non ante misisse Romam eam nauim, quàm est diruta Carthago: quàm præda per aliquot dies est militibus concessa, quàm denique exercitus multis est affectus donis. quæ omnia infra explicantur, vti possunt, à Sigonio ordine Appiani inuerso, & perturbato. Deinde negamus in Siciliam naues missas: sed literas asseueramus de sententia Ciceronis de prouinciis consularibus, & Valerii lib. 5. capite primo.

Sig. 20. 27.

*Quibus rebus administratis &c.* Neque hic est ordo Ap. seruatus: nam quæ infra narrantur, ea ante facta fuerunt, quàm quæ hic exponuntur.

Sig. 20. 27.

*Prædam verò omnem militibus præter aurum, argentum & insignes statuas, dispartiuit.* Appianus 29.



Σκιπίων ἐπὶ μέν τινα ἡμερῶν ἐπέτρεψε τῇ στρατιᾷ διαρπάζειν ὅσα μὴ χρυσὸς, ἢ ἄργυρος, ἢ ἀναθήματα. id est. Scipio per quendam dierum numerum exercitui permisit omnia diripere præter aurum, aut argentum, aut donaria.

Sig. 21. 3.

*Adijcit Plutarchus eum ex præda neque seruum, neque libertum sumere, aut emere cuiquam permisisse*. Plutarchus in Apoth. Scipionis. τῶν δὲ χρημάτων οὔτε δοῦλον, οὔτε ἀπελεύθερον εἴα λαβεῖν οὐδένα, ἀλλ᾽ οὐδὲ πρίασθαι πάντων, ἀγόντων, καὶ φερόντων ex præda neminem neque seruum, neque libertum, quicquam sumere permisit, sed ne emere quidem cum omnes agerent, ferrentque.

Sig. 21. 2.

*Inde arma, equos, machinasque inutiles incendit.* ἀποδόμενος, inquit Appianus, τὴν λείαν τὴν περισσὴν ὅπλα, καὶ μηχανήματα. καὶ ναῦς ἀχρήστους Ἄρει, καὶ Ἀθηνᾷ διαζωσάμενος αὐτὸς ἔκαιε κατὰ τὰ πάτρια, id est Scipio, præda, quæ supererat, diuendita, arma, machinas, & naues inutiles Marti, & Mineruæ accinctus more patrio cremauit.

Sig. 22. 10.

*Postero anno à Senatu ad regum & gentium animos perspiciendos est missus &c.* Contendit Sigonius hoc esse factum an. V. C. DCX. nos verò omissis iis, quæ pagina 135. diximus, hoc modo, Sigonium non satis probabilia scripsisse, ostendere conabimur. Strabo lib. 14. vnde Sigonius causas eius mittendæ legationis sumpsit, hæc narrat: Romanos post euersionem Carthaginis, & Corinthi diuites factos multis seruis vti cæpisse: & ob eam causam piratas, & prædandi, & vendendi opportunitate oblata, mirum immodum creuisse eosque, & Cypri, & Aegypti reges adiuuisse Syriis inimicos: Romanos autem, etiam si incolentes trans montem taurum ferè nihil curarent, misisse tamen Scipionem, qui populos, & vrbes, & alios quosdam inspiceret. Hæc Strabo. Quæ omnia cum facta fuerint post euersam Carthaginem, non est verisimile Romanos duobus, aut tribus annis, vt vult Sigonius, tot seruis vti cæpisse, & pi-

ratas tam creuisse, vt Strabo narrat. Præterea Ptolemæus ille Phiscon regnare cæpit eodem anno, quo Carthago est diruta. huius inauditam crudelitatem narrat Liuius lib. 59. post euersam Numantiam. Item Paulus Orosius lib. 5. ex quibus omnibus facilè coniici potest, Scipionem ea legatione perfunctum fuisse multò post euersam Carthaginem & post censuram: si cum Valerio dicere nolumus, fuisse legatum post euersam Numantiam.

Sig. 24. 6.

*Abiens magistratu pro rostris dixit, se ex dignitate Reipublicæ omnia fuisse gesturum, si quirites sibi collegam vel aliquem, vel omnino nullum dedissent*. Hæc ex lib. 6. cap. 4 Valerii sumpta sunt. Scipio, inquit, pro Rostris dixit, se ex maiestate Reip. omnia gesturum, si sibi ciues vel dedissent collegam, vel non dedissent. Ex quibus Valerii verbis nuper collegimus ea Scipionem initio censuræ, non in fine dixisse nixi illo futuro tempore, gesturum.

Sig. 22 10.

*Huic autem Alexandriam introeunti Ptolemæus rex is, qui Physcon est dictus obuiam egressus risum maximum dicitur exciuisse &c.* Hic omnia dicuntur ordine perturbato: Vide Valer. lib. 4. cap. 3. Plutar. in Apoph. Scipionis, & Iustinum lib. 38. sed quæro ex Sigonio cur dicit, huic, cum tres essent legati? cur Scipioni magis quàm aliis mouit risum maximum? cur hæc scribit infra? *Vt autem Ptolemæus Romanis risum, sic contra Scipio admirationem Alexandrinis mouit*. Hæc scribit Iustinus. Sed Ptolemæus quam cruentus ciuibus omnibus, tam ridiculus Romanis fuit.

Sig. 22. 20.

*Cum ea populo imprudentius indicaret*. Si Iustinus lib. 38. ex quo hæc omnia sumpsit, dicit, quasi astu inspicienda præberentur, cur Sigonius scripsit, imprudentius?

Sig. 25. 22. Ben. 64. 5.

*Atque adeò etiam absens &c.* Hac de re copiosè disputatum est pag. 134.

Sig. 25. 27.

Eò

*Eò cum venisset non protinus hostes adortus est, vt eos tāquam incautos, imparatosque circumueniret, quod exploratum haberet, nunquam eos homines ocio adeò, luxuriaque diffluere, vt non ipsa naturæ ferocitate apparatus aliorum facilè superarent.* Paulò aliter scribit in Com. in Fast.

Eò verò cum venisset, non protinus in hostes se intulit, vt eos tanquam imparatos circumueniret; quòd exploratum haberet, nunquam id genus hominum adeò ocio, luxuriaque diffluere, quin ipsa naturæ suæ ferocitate apparatus aliorum superaret. Hæc omnia pag. 137. diximus esse Sigonii; quòd adeò essent a Sigonio immutata, & à sententia sui auctoris remota: vt vnde fuerint sumpta tum dignoscere non potuerim. cum verò eadem hæc in vita legi non adeo immutata, sensi ex Orosio fuisse illuc non benè translata. qui lib. 5. cap. 7. Igitur, inquit, Scipio Africanus Hispaniam ingressus non illico se ingessit hostibus, vt quasi incautos circumueniret, sciens nunquam id genus hominum adeò in ocium corpore, & animo resolui, vt non ipsa qualitate habitudinis suæ apparatus aliorum præcelleret. Hic tu lector vide an sint idem, se ingessit hostibus, & in hostes se intulit: sciens, & exploratum haberet: in ocium corpore, & animo resolui, & ocio luxuriaque diffluere: qualitate habitudinis suæ, & ipsa naturæ ferocitate: præcelleret, & superaret. Hoc addam, quicquid alibi dixi, apparatus in Orosio, exercitationes, quibus Scipio suos milites emendabat, & ad pristinā militiæ disciplinam reuocabat, significare. Sig. 27. 26. Ben. 17. 15.

*Numantinorum vires*. hæc discussa pag. 133. Item hæc *Duo esse itinera*. Itē hæc. *Moturus interim ex Vaceis*. pa. 139. Sig. 28. 20.

*Hic enim præstanti, inquit, virtute vir erit, quod ea dat de se in adolescentia signa, ex quibus qualis futuris sit, cum paulûlum ætate processerit, facilè possumus augurari.* Si me Sigonius docebit, vnde hæc habuerit, ei magnam habebo gratiam. neque in Mario Plutarchi neque in Velleio leguntur, quos tamen ipse auctores eorum prodit.

Equites

Sig. 25. 23. Ben. 64. 32.

*Partem exercitus &c.* Præter ea, quæ diximus pag. 137. Quæro ex Sigonio, quid sit factum de altera parte exercitus, si pars vna fratri data est.

Sig. 25. 2.

*Mancinum verò cuius intime familiaris erat dedi permiserit.* Plutarchus in vita Gracchorum. Δοκεῖ δὲ καὶ Σκιπίων βοηθῆναι. μέγιστος ὢν τότε καὶ πλεῖστον δυνάμενος Ῥωμαίων ἀλλ' οὐδὲν ἧττον ἐν αἰτίαις ἦν ὅτι τὸν Μαγκῖνον οὐ περιέσωσεν, οὐδὲ τὰς σπονδὰς ἐμπεδωθῆναι τοῖς Νομαντίνοις, ἐσπούδασεν, δι' ἀνδρὸς οἰκείου. καὶ φίλου Τιβερίου γενομένας. id est videtur autem Scipio Gracchum adiuuisse cum tum magnus esset, & Romanorum potentissimus: sed nihilominus malè audiebat, quod Mancinum non seruasset: neque studuisset, vt fœdus ictum cum Numantinis per Tiberium & affinem, & familiarem cõfirmaretur, & firmum, ratumque haberetur. Nusquam leges lector, Scipionem fuisse familiarissimum Mancini: sed fac aliquam intercessisse Scipioni cum illo familiaritatem, cur potius dixit, Scipionem fuisse intimè familiarem Mancini, quam Mancinum Scipioni? credo, vt maiorem Scipioni tribueret honorem.

Sig. 29. 10.

*Equites autem nonnulli &c.* Vide pag. 140. Item de his, *se interdum purpureo velo &c.* disputatum est, pag. 141. Item horum non est probata nimia breuitas. *Aggere valido circundedit.* eadem pagina.

Sig. 30. 6. Ben. 71. 8.

*Durium per vrbem labentẽ.* Strabo lib. 3. ὧν ὁ Δουρίας φέρεται παρὰ τὴν Νομαντίαν i. Durias fertur iuxta Numantiã. Oro. l. 5. c. 7. Numãtia autem inquit, in tumulo sita haud procul a flumine Durio. Sig. 31. 11. Ben. 71. 12.

*Qui se vndis obruentes.* Hæc sunt reprensa pag. 141. Itẽ *In muris autem viros &c.* eadem pagina. Item hæc *Scipio hora noctis octaua &c.* pag. 143. Item *sese bello ciuitatem persecuturum.* pag. 144. Item *paucos ad triumphum.* quinquaginta diximus fuisse, eadem pag.

Sig. 33. 3. Bend. 77. 19.

*In quo triumpho xij. millia pondo argenti tulit.* & in commentario in Fast. *In hoc triumpho xij, millia pondo translata auctor est Plinius lib. xxxiij. cap. xi.* verba Plinii sunt hæc: Postea victa Numantia, & deleta idem, Africanus in triumpho militibus xvii. millia pondo dedit.

Sig. 33. 24. Bend. 78. 10.

*Quare cum post Numantinum triumphum C. Carbo Gracchanarũ legum subscriptor &c.* Hæc, auctore Sigonio in com. in Fast. Facta sunt an. V. C. 623. & Scipio triumphauit an. V. C. 621. credo Sigonium secutum Valerium, qui contra historiæ veritatem lib. 6. cap. 2. scripsit Africanum à Numãtiæ ruinis summo cum gloriæ fulgore venientem ab ipsa penè porta in Rostra à Carbone productum fuisse. Dicam etiã eundem Valerium lib. 2. cap. 5. falli, cum dicit, Scipionem adolescentem admodum à Lucullo consule missum fuisse in Africam ad Massanissam. erat enim tum annos quatuor, & triginta natus. In vita 19.

Sig. 34. 15. Ben. 78. 20.

*Vsque adeò vt plebs incensa Scipionem hanc causam pro Rostris agentem clamoribus iterum, sibilisque interpellauerit.* & reliqua vsque ad illud. *Quo dimisso.*

Quæ quidem omnia eodem ipso die, quo superiora de C. Carbone, esse acta in vita scripsi. & me rectè scripsisse affirmo, cum ne apud eosdem ipsos auctores, ex quibus Sigonius ea se sumpsisse dicit pag. 40. quicquam tale legatur. Si mentior, mendacium meum patefaciat ipse. neque etiam vsquam legi, quod tradit Sigonius, M. Fuluium pro concione acerbissimè perorasse in Scipionem, Deinde Scipionem in Senatum iuisse. Nos in vita Appianum secuti, in Senatu id actum, scripsimus.

Sig. 5. 10. Ben. 10.

*Siquidem multa militaria patris documenta in sermone accepimus vsurpasse.* Sic sæpè loquitur hoc in libro Sigonius vt ponat, accipere, pro legere, quod non placet omninò. Semper enim putaui non ad lectionem ea verbi translatio

pertinere.

pertinere, sed ad auditionem. hoc est, id verbum eo modo positum, idem significare, quod audire, intelligere.

Sig. 6. 19. Quæ ad linguam latinam pertinent.

*Ex omnibus doctrinæ commentarijs, vno Xenophontis lib. mirificè est delectatus. in quo ita philosophus ille regis Cyri vitam, ac disciplinam est persecutus, vt omnia diligentis, ac modesti imperij officia in vnius persona regis effinxerit.* Primum, non memini me legisse commentarium, vel commentarios doctrinæ. Deinde contra verbi notionem appellauit, commentarium Cyri pædiam opus absolutissimum. de qua Laurentius Valla lib. 4. cap. 21. quamquam Sigonius alibi omnes Aristotelis libros appellat commentarios. postremò peccauit, cum dixit, vno Xenophontis libro, cum sint octo libri. qua de re Laurentius Valla lib. 6. cap. 43.

Sig. 6. 28.

*Ad tantum, quo posteà peruenit, immortalitatis, & gloriæ fastigium ascendisse.* Quo, pro ad quantum, & fastigiũ imortalitatis & gloriæ scripsisse, puto, sine probato auctore.

Sig. 7. 21.

*Nam cum Romanus Imperator, neque obsidione, neque oppugnatione potiri oppido potuisset, sed à muris in profundam vallem repulsus, ac multis difficultatibus affectus conditionis pacis Intercatiensibus ferre coactus esset.* Appianus in Iberico rem longè aliter narrat, magisque apertè. τὰ τείχη τῶν πολεμίων τύπτοντες μηχαναῖς, μέρος μέν τι κατέβαλον, καὶ ἐσέδραμον ἐς τὴν πόλιν μετὰ δ' οὐ πολὺ βιασθέντες τε. καὶ ἀναχωροῦντες ἐσπίπτουσιν ἐς τινα δεξαμενὴν ὕδατος ὑπὸ ἀγνωσίας. ἔνθα οἱ πλείους ἀπώλοντο. idest. Romani muros hostium machinis percutientes partem quandam deiecerunt, & in vrbem irruerunt. Sed mox magna vi repulsi cum retrocederent, in quandam lacunam propter loci ignorantiam inciderunt, vbi plures perierunt. δεξαμενὴ hoc in loco, significat aquæ receptaculum, lacum, lacunam: Sigonius *profundam vallem* dixit, & *à muris*: cum ex vrbe repulsi fuerint. Appianus causam vtrique parti componendæ pacis famem

his verbis dicit fuisse ὁ γὰρ λιμὸς ἀμφοῖν ἥπτετο. Sigonius dixit, *Multis difficultatibus affectus*, & ad solos Romanos eas difficultates retulit. Appianus narrat, Lucullum ob suã stultitiam inuitasse Intercatienses ad conditiones, & pactiones: tantũ abest, vt coactus fuerit eas ferre, vt ait Sigonius.

Sig. 8. 20.

*Post autem cum Pœni summa vi ex vrbe silentio noctis egressi castra Romanorum adorti essent*. Appianus in Lybico νυκτὸς, id est noctu dixit, quod nullum certum noctis tempus statuit: cum noctis silentium apud Latinos certum noctis tempus significet, & pro nocte intempesta ponatur, ita etiam locutus est pag. 31. versu 13.

Sig. 10.

*Iacebat inter duos montes vastissima quædam vallis, eisque ab vna parte Asdrubal, ab altera Scipio copias per tramites quosdam ducebant.* Appianus 49.

Ἐν δέ τινι χειμασίᾳ Σκιπίων, καὶ Φαμαίας ἀντιπαρώδευον ἀλλήλοις μέσον ἔχοντες ἄβατον χαράδραν, καὶ οὐδὲν ἐς ἀλλήλους δυνάμενοιν.

Quadam verò tempestate Scipio, & Phamæas iter faciebant alter contra alterum mediam habentes vallem inuiam, & accessu difficilem, vt nihil inter se nocere possent.

Ex versione Sigonii non apparet omninò & cognoscitur ratio itineris Scipionis, & Phameæ, neque video in Ap. illos tramites, per quos ducebant copias, neque cur scripserit Asdrubal, cum de Phamæa agatur.

Sig. 11. 19.

*Paucis post diebus nuncius quidam è Gulussæ exercitu epistolam Scipioni reddidit. in qua hæc erant scripta Hodie ad locum illum veniam vbi collocuti sumus, tu fac, vt quibuscum visum fuerit, præsto sis.* Appianus 49.

Ἐπιστολὴν δέ τις ἐκ τοῦ Γελόσσου στρατοῦ ἔφερε Σκιπίωνι. ὁ δ᾽ ὡς εἶχε σεσημασμένην, ἐπέδειξε τῷ στρατηγῷ καὶ λύσαντες εὗρον, ἐς τήνδε τὴν ἡμέραν ἐγὼ μὲν τόδε τὸ χωρίον καταλήψομαι. σὺ δ᾽ ἔλθε μεθ᾽ ὅσων βούλει, καὶ τοῖς προφύλαξιν εἰπὲ δέχεσθαι τὸν νυκτὸς ἀφικνούμενον, id est.

Quidam

Quidam autem ex Gulussæ exercitu epistolam Scipioni attulit, quam, vt accepit, obsignatam ostendit duci, qua apperta, inuenerunt. ad talem diem ego quidem talem occupabo locum, tu verò veni cum quibus vis: & stationariis dicito, vt noctu venientem accipiant.

Attende, obsecro, candide Lector, quot insint in his paucis verbis flagitia. primum *nuncius*, dixit, & præter ipsius vocabuli notionem: cum nuncius is dicatur, qui aliquid nunciat ipse, non qui fert literas. Deindem scripsit, *Hodie veniam.* contra sententiam Appiani. qui aliam certum diem statuit. Deinde addit, *ad locum illum, vbi collocuti sumus,* & malè: nam τόδε τὸ χωρίον nullo modo signat vastissimam illam Sigonii vallem, vbi collocuti fuerant, sed alium certũ locum notat. quod ex illis verbis apertè colligitur τοῖς προφύλαξιν. Deinde omisit, quam vt accepit obsignatam ostendit duci. & hæc. & stationariis dicito, vt noctu venientem accipiant. postremò nullo modo probare possumus illud, *præsto sis,* pro, veni.

Sig. 11.

*L. Mancino classis præfecto, atque hoc ipso Phamæa secum in Africam ductis.* Appianus dicit Phamæam rediisse in Africam multo ante quam Piso consul, & Mancinus clasßis præfectus Roma discesserint.

Sig. 10. 25.

*Vniuersus exercitus Scipionem, & laudibus, & precibus, vt sibi Imperator reuerteretur, est prosecutus.* Quæro ex Sigonio an ullus vnquam Romanus consul fit Imperator appellatus, ante quam venisset in prouinciam. Præterea putaui semper, prosequi aliquem precibus, idem esse, quod aliquem precari. ergo exercitus Romanus Scipionem precabatur, Sigonio auctore, vt sibi Imperator reuerteretur, quasi esset in ipsius potestate. Ap. 50 καὶ ηὔχοντο ὕπατον ἐς λιβύην ἐπανελθεῖν. id est precabantur deos, vel vota faciebant, vel optabant, vt consul in Africam rediret. vt nullo modo ad Scipionem referri poßit.

Sig. 11. 17.

*eò cupiditate prouectus est, vt &c.* Doceat me Sigonius, quid hoc sit.

Sig. 10. 26.

*Phameas magnificè donatus ad reliquias belli ex fide conficiendas est excitatus.* Hic præter quam quod omisit munera, quibus Phamæas est affectus à Senatu, *reliquias belli dixit*, contra vim verbi de bello maximè vigenti, & *ex fide conficiendas*, quasi Phamæas eas conficere posset. &, *est excitatus*, quasi antea dormiret, & eo animo ad Romanos non transisset vt per se satis ad eos iuuandos esset incitatus.

Sig. 14. 5.

*His fossis duas alias similes à lateribus commisit.* Si mihi Sigonius, hoc dicendi genus probabit, fatebor aliquid me ab eo dicidisse.

Sig. 14. 15.

*Cum eos à se tam grauiter violatos scirent.* Si diligentius considerasset Sigonius, quid sit, violare, aliter esset locutus. violare propriè dicitur de virginibus, & ad alia transfertur, quæ habent in se aliquid sancti, religiosi, & veneratione, & obseruantia dignum. quæ si vera sunt, Romani vel crudelissimè ab Asdrubale necati nō potuerunt violari; cum hostibus hostes suos necare liceat, quouis modo.

Sig. 15. 24.

*Ne opus aluuie vndarum dissolueretur.* Non dicam Sigonium ignorare, quid sit alluuies: sed animum aliò intentū habuisse, cum ea scripsit. Nam de fluminibus tantum, non de mari dicitur. & est impetuosa aquarum vel pluuialium, vel fluuialium violentia, & aqua sordida, lutoque mista.

Sig. 15. 25.

*Quod ea machinatio compararetur.* Nunquam credidi, aggerem in mari constructū posse appellari machinationem Nam Cæsar lib. 2. vnde Sigonius hæc sumpsit, primum, inquit, irridere ex muro, atque increpitare vocibus, quod tanta machinatio ab tanto spatio instrueretur. Turrim Cæsar appellat machinationem, & mobilem: Sigonius aggerem. Appianus τὸ ἔργον.

Ingens

Sig. 15. 25.

*Ingens luctus intus Carthaginienses excepit*. Mihi inauditū.

Sig. 16. 9.

*Amputatis remis & gubernaculis*. Quid sit amputare noui. Sed adhuc ignoro, quomodo possint amputari remi, & gubernacula à scaphis.

Sig. 16. 17.

*Cum illi in eius diei casu summæ victoriæ, hi summa salutis euentum consistere arbitrarentur*. Hoc dicendi genus, consistere euentum summæ victoriæ, & summæ salutis in casu alicuius diei, nullo modo tanquam barbarum probare possumus. neque quod, illi, dixerit de Romanis posteriore loco positis ab Appiano, & hi, de Carthaginiensibus primo. cur etiam summæ, bis dixerit, nō possum coniicere.

Sig. 16. 21.

*Ne conspecti præuenirentur*. Sine auctore, & sine verbi notione dixit, præuenirentur.

Sig. 22. 23.

*Magno spatio acriter dimicarunt*. Non me latet spatium de loco, & tempore dici: sed nunquam putaui, spatium magnum significare longum tempus. Orosius lib. 5. cap. 7. à quo sumpsit Sigonius, atrox diu, inquit, certamen, & vsque ad periculum Romanorum fuit.

Sig. 25. 9.

*Vnis Numantinis exceptis, qui arma magno conatu retinebant, & multo maiore inferebant*. Inferre arma is dicitur qui prior arma mouet: non qui se defendit, & à se bellum, quantum potest, propulsat, vt Numantini, quibus multo ante bellum à Romanis illatum fuerat. Liuius lib. 21. Romanis indignantibus, quòd victoribus victi vltro inferrent arma.

Sig. 29. 29.

*Se interdiu purpureo velo, noctu ignibus fieri certiorem iussit*. Ego sacramento contenderem, Sigonium nunquam legisse, id dicendi genus.

Sig. 31.

Sig. 31.

*Spatium illud cum traiecisset*. Non propriè positum traiecisset, vide pag. 142.

Sig. 31. 17.

*Equos quos scalis subuexerat, conscendit*. Primum dicimus ignorare, quid sit, subuehere equos scalis. Deinde non potuisse, Rethogenem ascendere, nisi vnum equum, Sigonius tamen dicit, *equos*.

Sig. 34. 6.

*Ab incitata multitudine, quod nunquam antea aliâs, est explosus*. & infra. *clamore, & sibilis interpellauit*. Plutarchus in vita Gracchorum hac ipsa de re loquens ἀντέκρουσε, scripsit, id est, reclamauit, obstrepuit. in Apopthe. Scipionis, ὁ δῆμος, ait, ἐθορύβησεν; id est, Populus tumultuatus fuit. Velleius volumine priore, omnis, inquit, concio cũ acclamasset. Valerius lib. 6. cap. 2. Cum concio tribunicio furore instincta violenter succlamasset. De viris illustribus. obstrepente populo. Nullus ex his, vt vides, lector, dicit, Scipionem fuisse explosum, & sibilis interpellatum. quare dicat ipse, quem sit secutus.

Sig. 31. 5.

*Sese bello ciuitatem persecuturum*. De Ciuitate iam exercitu circum sessa non putauimus ad imitationem Cæsaris, dici posse. qui dixit, se bello ciuitatem persecuturum, nisi imperata faceret.

23. 10.

*Alexandrini clamore eum, ac plausu maximo vniuersi consalutarunt*. Genus dicendi prorsus Sigonianum.

Quæ

*Quæ falsò à quibus auctoribus se sumpsisse dicit, pag. 38.*

*De familiaritate Terentij Cicero in Epistolis ad Atticum lib. vij. Quintilianus lib. x.*

*De Catonis testimonio de virtute Scipionis Plutarchus in Apoth. Catonis.*

*De situ Carthaginis.* Sigonius situm Carthaginis non ponit & tamen indicat auctores, à quibus sumpsit.

*De præda diuisa à Scipione Plutarchus in Apophtegmatis.*

*De Argento lato in triumpho Cicero de officijs lib. 2. Eutropius lib. 4.*

*De Mancino dedi permisso Appianus in Iberica, de viris illustribus in Mancino.*

*De voce Ti. Gracchi audita.* Hoc non scripsit Sigonius.

*De dicto Scipionis aduersus plebem, Cicero de Orat. Cicero in Lælio, Liuius Epitoma 59. Appianus primo ciuilis. Orosius lib. 5.*

## *Quædam ex iis, quæ memoratu digna à Sigonio sunt omissa.*

MAEROR Aemilii patris, & totius exercitus, quòd Scipio fuso fugatoque Perseo in castra non rediret. de quo Liuius lib. 44. Plutarchus in Aemilio.

Quod interfuerit triumpho patris. de quo Liuius lib. 45.

Metrodorus Pictor, & Philosophus excellentissimus Scipionis præceptor de quo Plin. lib. 35. cap. 11.

Quòd audisset diligenter Romæ Carneadem, Critolaum, Diogenem Legatos ab Athenienfibus ad Senatum missos dum de rebus variis disputabant. de qua re Cicero lib. 2. de orat. & in Tuscul. 4. Gel. lib. 7. cap. 14. lib. 17. c. 21.

Quòd in Hispania donatus fuit à Lucullo corona murali. Vell. volumi. priore.

Quod M. Halienum Pelignum in acie scuto suo protexit, & gladium hosti in pectus infixit. Tusc. 4.

Situs Carthaginis. de quo Liuius lib. 51. Appia. in Libyco. Strab. lib. 17 Orosius lib. 4. cap. 22.

Ratio Scipionis Tribuni pugnandi cum Phamæa, & ducendarum cohortium. Appia. in Libyco.

Situs Nepheris, quem Strabo lib. 17. describit.

Magna vis frumenti à Scipione allata ex magno Baratro. de qua Appia. in Libyco.

Euocatio deorum tutellarium Carthaginis. quam Macrobius lib. 4. cap. 9. diligentissimè explicat.

Quod Scipio aratrum Carthagini induxerit. auctore Modestino Pandectarum lib. 7. de vsufructu amittendo lege 21.

Quod accepisset bonam exercitus partem à Massanisa. Valerius lib. 5. cap. 2. quòd egisset de pace concilianda inter ipsum Massanisam, & Carthaginiẽses. Ap. in Libyco.

FINIS.

Non fine conceffu, ac licentia Felicis Ambrofinii Vicarii Lucenfis. & Præfectorum Scholarum.

*Lucæ apud Vincentium Busdracum 1569.*

